mam vnam, & ferè grana quatuordecim, & ſemiſem.

Seſquilibra, ideſt libra vna, & ſemis.

Seſqui vncia, ideſt vncia vna, & ſemis, & ſic de cæteris.

Nota: In compoſitionibus Mynſichtianis libra intelligitur civilis vnciarum ſexdecim, in reliquis veró medica, vt dictum eſt, vnciarum duodecim.

# FINIS LIBRI PRIMI.







# TYROCINIVM PHARMACEVTICVM.

## LIBER II.

ANTIDOTARIVM, SEV DISPENSATORIVM, VEL ANTIDOTORVM, SEV MEDICAMENTORVM Tractatus.

## CAPVT I.

### DE ELECTVARIIS, ET CONFECTIONIBVS confectis, Lohoc, & Bolis.

*ELECTVARIVM, SEV CONFECTIO ALCHERMES Meſues.*

R Aquæ purę tepidæ ℔jv. ſacchari candidi ℥ij. granorum chermes ſimul cum pulvere ſuo pari portione ℥viij. ſerici crudi pellicula interna abſtracta, & in quo bombyx non occiſus fuerit, optimè carminati ℔j. coquantur ſimul ſemper ſericum agitando, per quadrantem

tem horæ, vel vſque quo optimè tinctus ſericus appareat, tunc ſubmerge eum, in ſucci pomorum dulcium recenter extracti, & aquæ roſarum ana ℔iß. detineantur in loco tepido per 24. horarum ſpatium, deinde coquantur pauliſper, ſeu donec liquores optimè tingantur, mox fortiter exprimatur, & cum colatura, & ſacchari ℥xvj. fiat ſyrupus craſſus: hinc. ℞. Ambræ griſſeæ optimæ ℥ß. pulveretur, & diſſolvatur cum tantillo ſyrupi prædicti, cum cæteroque miſceatur: Moſchi electi ℈j. diſſolvatur cum aqua roſarum, & miſceatur, vt ambra; poſtea adde in ſubtiliſſimum pulverem redacta ſequentia: Ligni aloes, & cinnamomi ana ʒvj. Lapidis Lazuli loti, & pp. Margaritarum albarum pp. ana ʒij. miſceantur omnia exactiſsimè, & adde panorum auri N. CC. vſuique confectio reponatur.

## *VIRES.*

*COR, ac vitales vires validè roborat, obid ſyncopem, & cordis palpitationes pellit, cerebro quoque, ac animali facultati languidæ eximiæ ſuccurrit, nec non ab apoplexia præſervat. Datur melancholicis, mæſtis, tædio, & ſqualore confectis, ſpontè illacbrymantibus, meticuloſis, ac triſtibus, lætitiamque cum hilaritate parit; atque animum gaudio reficit.* Doſis à ʒß. ad ʒij. Habemus etiam in officinis hanc confectionem ſine Ambra, & ſine Moſcho; quam accipimus, quando à Medicis præſcribitur confectio Alchermes ſine odore, ſeu incompleta.

*Confectio Alchermes ſine odore, ſeu incompleta.*

## *CONFECTIO HYACINTHORVM MAG.*

℞. Hyacinthorum pp. Corallij rubri pp. Terræ ſigillatæ pp. & Boli armenæ pp. ana ℥ß. Saphiror pp. Margaritarum pp. Rubinor. pp. Topatiorum pp. Corallij albi pp. & ſerici crudi ana ʒj. granor. chermes, tormentillæ, trium ſantalor. ſeminis citri mundati, & per ſtraceum extracti, foliorum Dictamni Cretici, Roſar. Rub. Myrrhæ, croci, raſuræ cornu cervi, oſſis de corde cervi, ſemin. acetoſæ, & portulacæ, raſuræ eboris, Ligni Aloes, & radicis bugloſsi ana ℈jv. panor. Auri, & argenti ana N. L. Ambræ griſſeæ, & Moſchi ana gr. XV. Syrupi limonum, q. ſ. hoc eſt, pro vnaquaque libra ſyrupi, ℥ij. pulverum. Crocus exiccatus inter chartas ſubtiliter pulveretur, & cum ſyrupo diſſolvatur, ſemenque citri: Ambra, & Moſchus ponantur vt in confectione Alchermes eſt notatum, cæteraque, in ſubtiliſsimum pulverem redacta, optimè miſceantur, & in fine addantur panes auri, & argenti, vſuique confectio reponatur.



## *VIRES.*

*VAlet in febribus acutis, & malignis, vires deperditas reparat, roborat, ac lætificat cor, fermentum immoderatum placat, quia putredinem præſentem corrigit, & futuram præcavet.* Doſis à ʒß. ad ʒij. Habemus etiam hanc confectionem, ſine Ambra, & Moſcho, ob notatum in confectione Alchermes, quia Aromata, vt ſunt Ambra, Moſchus, nec Zibethum, dum Medicamenta qualiacumque ſint, Mulieribus ſubminiſtrantur, non debent eis adhiberi.

*Aromata quando non debent imponi, in Medicinis.*

## *CONFECTIO CORDIALIS GENTILIS contra Melancholiam ex Fulgino.*

℞. Pineorum aqua tepida per noctem infuſorum; & exiccatorum ℥j. amygdalarum dulcium, & quatuor ſeminum frigidorum maiorum mundator ana ʒj. fac-

ſacchari canti roſati, & ſacchari canti violati ana ℥ß. florum borraginis, & bugloſsi, ſeminis endiviæ, & portulacæ, & liquiritię raſæ ana ʒij. ſpodij. pp. ſantali citrini, ligni aloes, tragacanthi, cinnamomi, gummi arabici, croci, ſeminis ocymi, corticum citri, & Margaritarum pp. ana ʒj ſantalor. albor. & rubror. roſarum, macis, cardamomi, ſapphiror. pp. & Rubinor. pp. ana ʒß, caryophyllor. ſpicæ, & maſtiches, ana ℈j. penidiorum ℥ij. ſacchari in aquis roſar. & bugloſsi ſoluti, & ad conſiſtentiam craſsiorem cocti ℔ij. panor. Auri, & Argenti ana N. C. Semina quatuor maiora, amygdala, & pinei ante quam ponderentur, per ſetaceum equinum tranſmittantur, & cum tantillo ſyrupi predicti frigefacti miſceantur; cæteraque in ſubtiliſsimum pulverem redacta, cum ſyrupo reliquo tepefacto miſceantur, & cum refrixerit addantur ſemina, vt dictum eſt parata, vltimoque panes auri, & argenti, vſuique confectio reponatur.

## *VIRES.*

F*Latus diſcutit melancholicos, obid exhilarat, coctionem iuvat ſpirituſque auget.* Doſis à ʒß. ad ʒij.

## *THERIACA SMARAGDORUM EX Ferdinando de Sepulveda.*

℞. Smaragdorum pp. & viſci quercini ana ʒiß. Hyacinthor. pp. croci, & raſurę eboris ana ʒj. ſeminis pœoniæ, & radicis eiuſdem ana ℥ß. cinnamomi ℥j. ſeminis citri, & dictamni cretici ana ʒvj. ſeminis acetoſæ, corallij rub. pp. & granor. chermes ana ʒiij. galangę ʒij ſyrupi Limonum, cum melle loco ſacchari, parati ℔j. Semina pœonię, & citri extrahantur per ſetaceum antequam ponderentur, & cum pauco ſy-

ru-



rupi frigidi miſceantur, crocus exiccatus, ac pulveratus in ſyrupo diſſolvatur, cæteraque addantur in ſubtiliſsimum pulverem redacta, & Theriaca refrigerata ei miſceatur ſemina cum ſyrupo mixta ſervata, & reponatur ad vſum.

## *VIRES.*

V*Alet contra epilepſiam, & ſpaſmum, prodeſt etiam in omnibus, in quibus confectio Hyacinthorum.* Doſis à ʒß. ad ʒij. in adultis à ʒj. ab ℥ß.

## *THERIACA DE CITRO EX VALENTINA.*

℞. Seminis citri ℔j. ſem. acetoſæ ℥jx. radicis dictamni, ſem. cydonior. ſem. bombacis, & raſuræ cornu cervi ana ℥jv. croci ʒjx. medullæ nucum ad pondus omnium prædictorum, ſyrupi acetoſitatis citri ℔jv.

Semen citri excorticetur, piſtetur, & extrahatur per ſetaceum equinum, & ſic accipi debet ℔j. nuclei nuncum etiam per ſetaceum extrahantur, & accipiantur ℥xxxviij. & ʒj. ſemen bombacis etiam per ſetaceum extrahatur, & permiſceatur cum radice dictamni, ſemine cydoneorum, & raſura cornu cervi, & ſimul triturentur, & ſubtiliter pulverentur, crocus exiccatus per ſe pulveretur, & cum ſyrupo miſceatur, hinc reliqua optimè miſceantur, vſuique Theriaca reponatur.

## *VIRES.*

P*Rodeſt in morbillis, & variolis, etiam in afectibus cordis, & febribus punticularibus.* Doſis à ʒj. ad ʒiij & vltra.

THE-

## THERIACA MAGNA ANDROMACHI
### *Senioris ex Galeno.*

℞. Trochiſcorum ſcylliticorum ℥vj.
Trochiſcorum viperarum.
Trochiſcorum Magmatis Hedychroi.
Piperis Longi, &
Opij ana ℥iij.
Roſarum Rubrarum.
*Iris Illyrica pro ea Hiſpana.* Iridis Illiricæ, pro ea noſtratis.
Succi Glycyrrhizæ.
Seminis buniadis dulcis, ideſt napi hortenſis.
Opobalſami, pro eo ex Nova Hiſpania alati, vel olei Nucis Moſchatæ expreſsi, ſeu olei Caryophyllorum aromaticorum.
*Opobalſami vice quid.*
Scordij.
Cinnamomi.
Agarici, ideſt Trochiſci Agarici cum vino infuſionis Zingiberis formati ana ℥iß.
Myrrhæ.
*Coſti vice quid.* Coſti, pro eo radicis Angelicæ.
Croci.
Caſsiæ ligneæ.
Spicæ Nardi.
Floris Junci odorati.
Thuris.
Piperis nigri.
*Rhei vice quid.* Dictamni Cretici.
Summitatum Marrubij.
Rhei, pro eo Rhabarbari.
Stœchadis.
Seminis Petroſelini.
Calaminthæ.
*Terebinthinæ, pro* Terebinthinæ, pro ea Maſtiches.
Zingiberis, &

Ra-



Radicis Pentaphylli, ana ʒvj. *ea quid in electuarijs, & Antidotis.*
Polij Montani,
Chamępityos, ideſt Ivæ artheticæ.
Styracis calamitæ.
Amomi, pro eo calami aromatici. *Chamæpityos quid.*
Nardi celticæ,
Sigilli Lemnij, pro eo Boli Armenæ, ſeu Orientalis. *Amomum pro eo quid*
Phu Pontici, pro eo Valerianæ Maioris.
Seminis chamædryos. *Sigillum Lemnium pro eo quid.*
Malobatri, pro eo ſpcicæ Nardi.
Chalcitidis toſtæ, ideſt ad albedinem calcinatæ.
Gentianæ. *Phu, ideſt valeriana.*
Aniſi.
Succi Hypociſtidis. *Malobatri vice quid.*
Carpo balſami, pro eo cubebarum.
Gummi Arabici. *Carpo balſamum, pro eo quid.*
Seminis fœniculi.
Seſeli.
Acatię, pro ea ſumach. *Acatiæ vice quid.*
Seminis Thlaſpi, eſt ſpecies naſturij agreſtis.
Hyperici. *Ameos pro eo quid.*
Sagapeni,
Ameos, pro eo Aniſi.
Cardamomi minoris ana ℥ß.
Caſtorij.
Radicis Ariſtolochiæ clematitis; in eius defectu Longę.
Seminis Dauci.
Aſphaltos, pro eo Bituminis Judaici. *Aſphaltos pro eo quid*
Opopanacis.
Centaurij minoris, &
Galbani ana ʒij.
Mellis q. ſ.
Vini albi antiqui, quod ſatis ſit ad ſuccos, & gummata diſſolvenda.

*Modus parandi*: Accipe ℔x. Mellis optimi, (quale eſt quod ex Budia nobis aſportatur (cum vino optimo deſpumati, & ad iuſtam conſiſtentiam cocti: crocus exiccatus, & ſubtiliter pulveratus cum pauculo mellis

ſu-

ſupradicti miſceatur: ſtyrax etiam cum tantillo mellis adhuc calentis optimè miſceatur: calcithis cum vino ſufficiente diſſolvatur: caſtoriumque cum vino diſſolvatur; opium, ſuccus glycyrrhizæ, ſuccus hypociſtidis, gummi arabicum, ſagapenum, opopanax, mirrha, & galbanum cautè cum vino diſſolvantur, tranſcolenturque per ſetaceum ſericum: hinc, hæc omnia ſoluta, & Balſamum, cum reliquo melle miſceantur: Cæteraque cum ſuavitate, magnaque curia in ſubtiliſsimum pulverem redacta, miſceantur exactiſsimè ſigilatim mel, & pulveres, donec vniverſa vnita, & in vnam ſubſtantiam redacta ſint, in vaſe vitreato capaciſsimo, in quo per quadraginta dierum ſpatium, ſingulis diebus diu agitentur cum ſpatula lignea, ſoli, vel loco calido; mox Theriaca reponatur, & poſt annum ea vtetur, vſque ad annos quadraginta.

## *VIRES.*

*Valet ad graviſsimas paſsiones totius corporis humani. Contra omnia venena ſerpentum, & reptilium: Epilepticis, Hæmicranicis, Apoplecticis, Cæphalalgicis, & Stomachicis prodeſt, & etiam Nephriticis, Calculoſis, Illioſis, Arteriacis Aſthmaticis, & Ictericis. Menſtrua educit, & fœtum mortuum expellit. Lepra, variolas, frigus, & cæteras paſsiones inveteratas emendat. Omnem defectionem ſenſuum relevat. Cor, cerebrum, hepar, ſtomachumque confortat. Totum corpus incorruptum ducit, & cuſtodit.* Doſis à ʒß. ad ʒij. & vltra.

## *MITHRIDATIUM DAMOCRATIS ex Galeno.*

℞. Myrrhæ electæ, agarici, croci, Zingiberis, cinnamomi, ſpicæ, thuris, & ſem. thlaſpi ana ʒx. ſeſeli, opo-



opobalſami, ſchœnanthi, ſtœchadis, coſti, galbani, terebinthinæ, piperis longi, caſtorij, ſucci hypociſtidis, ſtyracis, opopanacis, malobatri, caſſiæ ligneæ, polij, piperis albi, ſcordij, ſeminis dauci cretici, carpobalſami, Trochiſci Cyphi, bdellij, Nardi celticæ, gummi arabici, ſem. petroſelini, opij, cardamomi, ſem. fœniculi, gentianæ, roſarum, & dictamni cretici, ana ʒv. aniſi, aſari, radicis ari, acori, ſeu calami aromatici, phu, & ſagapeni ana ʒiij. mei atamantici, acatiæ, ventris ſcinci, & ſummitatum hyperici ana ʒiiß. vini albi optimi quantum ſatis ſit, pro ſuccis, & gummatis, diſſolvendis, mellis optimi deſpumati, & ad conſiſtentiam cocti ℔jx. Paretur eodem modo, quo Theriaca. *Acori vice quid.*

## *VIRES.*

*Valet ad capitis, aurium, oculorum, dentium, pulmonum, ventriculi, & inteſtinorum affectus frigidos, ſeu pituitoſos, & melancholicos, ad ſtuporem, paralyſim, apoplexiam, epilepſiam, ſpaſmum, tetanum, Cæphalæam, hæmicraniam, maniam, melancholiam, gravem auditum, oculos lachrymantes, odontalgiam, cynachem, aſthma, ſputum ſanguinis, peripneumoniam, lienteriam, dyſenteriam, ſivè ſumatur, ſivè admoveatur. Præterea ad frangendos calculos, menſes ciendos, omnia vteri vitia, ſcirrhos, podagras, morſus, & ictus venenatos, morſum canis rabidi, febres quotidianas, & quartanas initio acceſsionum, cocta iam materia, in modum avellanæ, cum vino, vel aqua, cui ſaluia, vel mentha ſit cocta. In alijs autem veſpere ſumptum, vel admotum efficax exiſtit; diuturnis ſtomachi, & thoracis defluxionibus prodeſt, tabidis, ventris inflationibus, cœliaciſque medetur. Bonum corporis colorem conciliat, appetentiam immutatam reſtituit, ac morbo languidos reficit, ac difficultatem vrinæ emendat, melancholiam non ſinit exiſtere, mortuum fœtum eijcit, viſum acuit, præſumpta non per-*

*mi-*

*mittit lædi à lethalibus pharmacis, omnibus in fundo corporis factis exulcerationibus, & abſceſsibus benefacit.* Doſis à ʒß. ad ʒij.

## ANTIDOTUM MAGNUM MATHIOLI.

*Rhapontici vice quid.*

℞. Rhabarbari, Phapontici, pro eo Rhabarbari, radicis Phu, Acori, Cyperi, quinque folij, tormentillæ, Ariſtolochiæ rotundæ, Pœoniæ, Helenij, Coſti, Iridis, chameleontis albi, Agarici, Dictamni cretici, croci, & terræ Lemniæ ana ʒiij. Galangæ, Imperatoriæ, Dictamni albi, Angelicæ, Millefolij, filipendulæ, Doronici, Zedoariæ, Zingiberis, ſeminis citri, viticis, ideſt Agnicaſti, cocci infectorij, ideſt chermes, fraxini, oxalidis, Paſtinacæ Sylveſtris, Napi, Nigellæ, Pœoniæ, ocymi, chlaſpi, fœniculi, Ammi, Irionis, ideſt eryſimi, ſummitatum ſampſuchi, Hyperici, & Marrubij, Iunci odorati, Galangæ, Sabinæ, Pinpinellæ, Hypociſtidis, & Camphoræ ana ʒij. Libanotidis maris, ideſt ſem. Angelicæ, Gentianæ, Morſus Diaboli, Caryophyllorum, Nucis Myriſticæ, Maſtiches, Thuris, Styracis, Mirrhę Gummi Arabici, reſinæ Terenbinthinæ, pro ea Maſtiches, Sagapeni, Opopanacis, Laſerpicij, pulveris Diamargaritonis, Diamoſchi, Diambrę, & Geminis, Paſtillorum Camphoræ, & ſcyllæ aana ʒiiß. Baccarum Hederæ, Juniperi, Lauri, Smilacis aſperæ, ideſt, acini ſmilacis aſperæ, cubebarum, foliorum ſcordij, chamędryos, chamæpityos, Centaurij minoris, ſtœchadis, Nardi celticæ, calaminthæ, Rutæ, Menthæ, Betonicæ, verbenæ, ſcabioſſæ, cardui Benedicti, Melliſſophilli, Piperis nigri, ac Longi, Santalorum omnium, Agallochi, opij, Margaritarum Orientalium, Smaragdor. Hyacinthor. & Corallij Rubri pp. ana ʒiß. Caricarum, Nucum Juglandium, & Piſtaciorum ana ℥iij. Myrobalanor. Emblicor. Cornu cervi, & olei vitrioli ana ℥ß. florum utriuſque Bugloſſi,

*Viticis quid.*

*Coccum infectorium.*

*Irion quid.*

*Libanotis quid.*

*Smilax aſpera, exqui ſumi debent acini, naſcitur, in Aſturijs, Valentia, & Vandalia, & vulgo ap-pe-*



ſi, Roſarum, Lavendulæ, Salviæ, Caſtorij, Roris marini, oſsis de corde cervi, eboris, & virgæ cervinę ana ℈jv. caſsiæ ligneæ ʒx. vnicornu, Moſchi, & Ambrę griſſeæ ana ʒj. Trochiſcor. viperarum ℥ij. Succorum Oxalidis, ſonchi, ſcordij, Bugloſsi, & Meliſſophylli ana ℔ß. Theriacæ Magnæ, & Mithridatij ana ℥vj. vini albi veteris optimi ℔iij. Mellis optimi ℔viiß. fiat electuarium, eo modo quo Theriaca.

*pellatur Zarçaparilla Sylveſtre.*

### VIRES.

CONVENIT *cum Theriaca, & Mithridatio.* Doſis à ʒj. ad ʒiij.

## THERIACA DIATESSARON EX MESUE.

℞. Gentianæ, Baccarum Lauri, Myrrhæ, & Ariſtolochiæ rotundę ana ℥ij. Mellis deſpumati, & cocti ℔ij. fiat S. A.

*Diateſſaron*, hoc eſt: exquatuor ſimplicibus compoſita.

*Diateſſaron*

### VIRES.

M*orſus ſcorpionis, & potioni veneni confert: in affectibus frigidis, epilepſia, paralyſi, ſpaſmo, tum in inflatione ventriculi, & eius dolore, coctionem iuvat, etiam in hydrope: cachexia, & obſtructione prodeſt.* Doſis à ℈ij. ad ℈jv.

## DIASCORDIUM HIERONYMI FRACASTORII.

℞. Scordij ℥j. Opij, & ſem. Acetoſæ ana ʒiß. Cinnamomi, caſsiæ ligneæ, Terræ Lemniæ, Dictamni Cretici, Tormentillæ, Biſtortæ, Galbani, Gummi Arabici,

ci,& Gentianæ ana ℥ß. Styracis calamitæ ℥ß. & ʒß. Boli Armenæ ℥iß. Piperis Longi,& Zingiberis ana ʒij. Mellis clarificati,& cocti ℔iiß. Conſervæ roſarum ℔j. Diſſolvantur Galbanum, Gummi Arabicum, & opium in vino, colentur, & ad mellis conſiſtentiam coquantur, ſtirax diſſolvatur cum melle adhuc calente, conſervaque, & optimè omnia ſoluta cum reliquo melle miſceantur, cæteraque in ſubtiliſsimum pulverem redacta, vt fiat electuarium, S. A. vſuique reponatur.

## *VIRES.*

V*Alet in febribus epidemicis, & contagioſis, in* [illegible] *& ſimilibus, putredinem reſiſtit, lumbricos necat: vtitur in ijs, in quibus Theriaca, locum non habet, vt pueris, & gravidis.* Doſis à ℈j. ad ʒj. & vltra.

## *OPIATA SALOMONIS JUBERTI RENODEI.*

℞. Conſervę roſarum recentis, & conſervæ acetoſæ ana ℥ß. conſervę Anthos ℥ß. Mithridatij, Helenij, & Bugloſsi ana ʒvj. ſeminis contra vermes, ideſt ſantonici, & ſem. citri mundati ana ʒiij. cinnamomi ʒij. Caryophyllor. & Ligni Aloes optimi ana ʒj. radicis Dictamni albi, Cardui Benedicti, & corticum citri ſiccor. ana ʒj. & gr. xv. Cardamomi, & Macis ana ℈ij. & gr. xv. rad. Gentianę ʒß. oſsium de corde cervi N. jv. granorum Juniperi in aceto ſcyllitico per noctem infuſor. N. xxv. corticum citri conditor. & ſacchari ſolidi ana ℔ß. ſyrupi acetoſitatis citri q. ſ.

*Semen contra vermes quid.*

Cortices citri conditi, Mithridatium, ſaccharum, & conſervæ roſarum, Acetoſæ, & Anthos diſſolvantur in ſyrupo acetoſitatis citri: Cæteraque addantur in ſubtiliſsimum pulverem redacta, & iterum ſi neceſſe ſit addatur de eodem ſyrupo, ad iuſtam conſiſtentiam opiatæ, vſuique reponatur.

VI-



## *VIRES.*

M*Orbis peſtilentialibus, & contagioſis medetur, partes. quæ principatum tenent roborat, putredinem arcet, vermes necat, vomitionibus confert, & quavis ex cauſa languidis, & imbecillibus auxiliatur.* Doſis à ℈ij. ad ʒiiß.

## *ORVIETANUM.*

℞. Radicis vincetoxi, Zedoariæ, Carlinæ, Angelicæ, Petaſitidis, valerianæ, Dictamni albi, enulæ, & chelidonij ana ℥iij. fol. Dictamni cretici, ſcordij, & rutæ ana M. iij. Mirrhæ electæ ℥j. Galbani ℥iß. croci ℥j. & ʒvj. cinnamomi, & Caryophyllor. ana ℥ß. opij correcti ʒiij. oleor. diſtillator. ſuccini, & citri ana ʒiß. ſulphuris electi, & terrę ſigillatę ana ℥j. ſalis volatilis viperarum ʒvj. pulveris viperarum ℥ij. Mellis Juniperini q. ſ. fiat electuarium S. A. & ponte ad fermentandum vaſe clauſo per aliquot menſes

## *VIRES.*

H*Anc Orvietani deſcriptionem pro vera; ac genuina à quodam Italo communicatam accepiſſe dicit Hoffmanus, eamque non exiguæ virtutis, tùm in febribus malignis, tùm in ſumptis venenis in convulſiones vſque ferocientibus compeſcendis expertum fuiſſe.* Doſis à ʒß. ad ʒjß.

⁂ ⁂ ⁂
⁂ ⁂
⁂

## CONFECTIO ANACARDINA EX MESVE.

℞. Piperis nigri, & Longi, Myrobalanor. Chebulor. Emblicor. Bellericor. & Indorum, Caſtorij. ana ʒij. Coſti, Anacardij pp. ſacchari albi, ſeminis nigellæ, & Baccar. lauri ana ʒvj. cyperi ℥ß. Anacardia poſtquam infuſa fuerint per noctem in aceto, per ſe terantur, demum alijs tritis admiſceantur: deinde omnia incorporentur cum Butyri recentis non ſaliti, & Mellis deſpumati, & cocti ana ℥iß. fiat electuarium S. A.

### VIRES.

*Valet ad ventris totius inferioris, & cerebri affectus frigidos, ſanguinem purificat, ac inde ſpiritu animali purgatiore; tenuioreque effecto ſenſus omnes aprehenſionem, intellectum, & memoriam iuvat: vndè eam Meſue confectionem ſapientum eſſe dixit, ad ijs qui ſcire deſiderant, ſuppetias laturam, promiſsit, quæ, & ipſa nervoſum genus totum calefacit, nec non corpori vividum colorem præſtat. Cautè tamen, & non niſi ante ſemeſtre tempus poſt perfectam fermentationem, hoc medicamento eſt vtendum, & ab eius aſſumptione à labore, ira, coitu, ac ebrietate cavendum.* Doſis à ʒß. ad ʒiß.

## ANTIDOTVM HÆMAGOGVM NICOLAI.

℞. Aſari, acori, amomi, ſeminis atriplicis, & fœniculi ana ʒj. & gr. vj. ariſtolochiæ longæ, arthemiſiæ, caſsiæ ligneæ, mirrhæ, pyrethri, pulegij, ſpicæ nardi, ſeminis rutæ, & petroſelini ana ℈ij. & gr. xjv. centaurij minoris, & maioris, dauci cretici, aniſi, nigellæ, aluminis, & caryophyllorum ana ℈ij. elebori nigri, orobi, & cyperi ana



ana ℈j. folior. lauri ℈j. & gr. xiv. liquiritiç ʒj. & ℈j. lupinorum ʒij. piperis nigri ℈v. & gr. vij. pœoniæ ℈j. & g.. vij. florum Junci odorati ʒß. ſabinæ, & ſem. apij, ana ℈iiß. radicis capparis, & cymini, ana ʒj xylobalſami, pro eo ligni aloes ℈j & gr. xiv. Subtiliter pulverentur, & fiat electuarium addendo, pro vnaquaque vncia pulverum, vncias quatuor mellis deſpumati, & cocti ad iuſtam conſiſtentiam. *Xylobalſami vice quid.*

### VIRES.

*Menſes potenter provocat: diureticum eſt inſigne; obidad multas mulierum paſsiones valet, purgat mirabiliter, fœtum in vtero occidit, & poſtea extrahit, & poſt partum, quæ non ſunt purgata, & ad ſalutem perducit, lapidem in veſica rumpit, & purgat, vrinam movet, ſtranguriam ſanat, & ad omnia interiora magnum bonum facit, & ad ſtomachi indigeſtionem, & eos ſanat, qui colicam patiuntur: nephriticis prodeſt, viam totius corporis aperit, & fœtum mortuum, & ſecundinam educit, & veſicam purgat, ſtomachum calidum facit, ventoſitatem conſumit, vomitum compeſcit; tamen in mulieribus nihil operatur fortius ad omnia, quæ illis vtilia, propter quod cavendum eſt à patientibus hæmorrhoidas, aut fluxum ventris, aut dyſenteriam.* Doſis à ʒß. ad ʒij.

## DIACYDONITES EX PLAZA.

℞. Succi Cydoniorum, & Mellis optimi ana ℔ß. aceti albi ℥iß. ſyrupi de agreſta ℥iv. Coquantur ad melis deſpumationem, & adde in ſubtiliſsimum pulverem redacta: Ligni aloes, cinnamomi, & corallij rub. pp. ana ʒiß. Zingiberis, & caryophyllorum ana ℈j. Myrobalanor. Chebulor. ʒiiß. fiat confectio S. A.

***

## VIRES.

*Ventriculum roborat, eumque leviter purgat.* Doſis à ʒß. ad ʒiij.

## DIACVRCVMA MAGNA EX MESVE.

℞. Croci, aſari, ſem. petroſelini, dauci, aniſi, & apij, ana ℥ß. rhabarbari, phu, mei, & ſpicæ ana ʒvj. coſti, mirrhæ, caſsiæ ligneæ, ſchœnanthi, carpobalſami, rubiæ tinctorum, ſuccorum Abſynthij, eupatorij, Balſami nigri ana ʒij. calami aromatici, & cinnamomi ana ʒiß. ſcordij, ceterach, & ſucci glycyrrhicæ ana ʒiiß. tragacanthi ʒj. Mellis deſpumati, & ad conſiſtentiam iuſtam cocti ℔iß. Succi diſſolvantur cum vino ad mellis ſpiſsitudinem, quibus adde Balſamum, & miſceantur cum melle, tunc adde cætera in ſubtiliſſimum pulverem redacta, & optimè miſce, vſuique repone.

## VIRES.

*Medicamentum hoc viſcerum internorum, ventriculi nempè, hepatis, & lienis morbis frigidis, ac diuturnis ſubvenit. Vſurpatur ad cachexiam, & hydropem, obſtructiones enim internas reſerat, colorem corporis fœdum, & totum cuius habitum frigidiorem corrigit, frigidam item, & humidam ſtomachi intemperiem emendat, flatus craſſos diſsipat, humorumque corruptionem prohibet, renum quoque vitijs ab obſtructione craſſorum, & viſcidorum humorum natis opem fert, vrinam prolicit, ac frigidis veſicæ affectibus medetur.*

Doſis à ʒj. ad ʒiij.

***

DIÆ



## DILACA MAGNA EIVSDEM.

℞. Laccæ lotæ, & rhabarbari, ana ʒiij. ſpicæ, florum, & ſtipitum ſchœnanthi, maſtiches, mirrhæ, coſti, cinnamomi, croci, caſsiæ ligneæ, bdellij, hyſſopi, ſabinæ, amygdalarum amararum excortic. ſuccorum Abſynthij, & Eupatorij Meſues, ideſt agarati, ſeu Gratiolæ, radicis, rubiæ tinctorum, ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, aſari, ſem. apij, ameos, fœniculi, & aniſi ana ʒiß. piperis nigri, & Zingiberis ana ʒj. Mellis deſpumati, & cocti ℥xxxiv. *Eupatorium Meſues.*

Bdellium, & Mirrha in vino diſſolvantur, colentur, & ad mellis ſpiſsitudinem coquantur, crocus cum paculo melis ſolvatur, & cum ſuccis miſceatur optimè, tunc cum reliquo melle miſceantur; hinc reliqua in ſubtiliſsimum pulverem redacta eis addantur, vt fiat confectio S. A. vſuique reponatur.

## VIRES.

*Valet ad obſtructiones, inflationes, & durities hepatis, ventriculi, & iecoris, frigidam intemperiem eorum corrigit; menſes ciet, ſcirrhum diſſolvit: cachexiam depellit, vrinam promovet, renum, ac veſicę durities diſſipat, calculos atterit, & aqua inter cutem medetur.* Doſis à ʒi. ad ʒiiß.

## MICLETA EX NICOLAO MYREPSIO.

℞. Myrobalanor. Citrinorum, Chebulor. & Indorum ana ʒiiß. Bellericor. & Emblicor. ana ʒij. Omnes aſſentur antequam ponderentur: hinc accipe ſem. naſturtij, Cymini, aniſi, fœciculi, & carui ana ʒiß. Omnia dicta macerentur in aceto per diem, & nectem;

ctem, dein aſſentur (ſine abſtracto aceto) in vaſe terreo; poſtea pulverentur cum ſpodij, Balauſtriarum, Maſtiches, corticis ſem. ſumach, & gummi arabici ana ʒj. & gr. xv. fricentur omnia cum oleo roſato; deinde fiat confectio cum ſyrupo Myrtillorum, ſumendo pro vnaquaque vncia pulverum, vncias tres ſyrupi.

## *VIRES.*

V*Tilis eſt dyſenteria inteſtinorum levitate laborantibus, inflationibus inteſtinorum; ad omnes inſuper Cœliacos affectus, atque hamorrhoidas fluentes eficax.* à ʒj. ad ʒiij.

## *ELECTVARIVM PLIRIS ARCHOTICVM Nicolai.*

℞. Cinnamomi, caryophyllorum, ligni aloes, galangæ, ſpicæ, nucis moſchatæ, Zingiberis, ſpodij, ſchœnanthi, cyperi, roſarum, & violarum ana ʒj. & gr. xv. folij, pro eo ſpicæ nardi, glycyrrizæ, Maſtiches, ſtyracis, calamitæ, maioranæ, balſamitæ, ocymi, cardamomi, Macropiperis, Leucopiperis, baccarum myrti, & corticum citri ana ℈ij. Margaritarum, Behen albi, & rubri, pro eis radicis Bugloſſi, ſeu Paſtinacæ ſylveſtris, corallij rub. pp. & ſerici toſti, (melior crudi) ana ℈j. & gr. iiß. Moſchi gr. viiß. camphoræ gr. v. ſyrupi roſar. rub. q. ſ. ideſt pro vnaquaque vncia pulverum vncias quatuor ſyrupi, fiat confectio S. A.

*Folium pro eo quid.*

*Behen Album, & Rubrum pro eis quid.*

## *VIRES.*

C*Ardiacis, triſtibus, melancholicis, cibum moventibus; pulmonarijs, ac epilepticis ſuccurrit, cerebri ſenſationes interceptas liberat, ſenſum deperditum, & memoriam, reducit, imbecillo ventriculo, & animi deliquio à corde nato confert: præterea eos, qui ex diuturno morbo penitus extenuati ſunt, plurimamque inde imbecillitatem contraxerunt, admodum corroborat, aſthmaticis prodeſt, omnemque cerebri debilitatem aufert.* Doſis à ʒß. ad ʒij.



## *CONFECTIO LITHONTRIPTICA EIVSDEM.*

℞. Spicæ, Zingiberis, Xylobalſami, Acori, Cinnamomi. Peucedani, Meu, Melanopiperis, Macropiperis, Leucopiperis, & Saxifragię ana ʒiiß. opobalſami, Caryophyllor. Coſti, Rhapontici, liquiritiæ, cyperi, tragacanthi, ſeminis Alexandriæ, ideſt ſantonici, ſeu ſeminis contra vermes, Chamædryos, ſeminum apij, aſparragi, baſilici, ideſt ocymi, ſeu ocymi caryophyllati (vulgo Albaca) vrticę, & citri ana ʒj. & gr. xv. folij, croci. ſchœnanthi, euphorbij, Lapidis Lyncis, olei nardini, & Moſchelini ana ℈j. & gr. iv. Pulveranda pulverentur ſubtiliter, & cum triplo mellis cum vino deſpumati, & cocti fiat Confectio S. A.

*Semen Alexandriæ quid.*
*Baſilicum. Ocymum.*
*Ocymum caryophyllatum.*

## *VIRES.*

U*Rinam provocat, lapides frangit, tam ex renibus, quam ex veſica.* Doſis à ʒi. ad ʒiij.

## *REQVIES MAGNA EIVSDEM.*

℞. Roſarum rub. & violar. ana ʒiij. opij, ſeminis hyoſcyami, papaveris albi, & nigri, ſcariolæ, lactucæ, portulacæ, & pſyllij, corticum radicis mandragoræ, nucis moſchatæ, cinnamomi, & ſacchari ana ʒiß.

triuum

trium ſantalorum, & tragacanthi ana ℈ij. & gr. v. Mellis deſpumati, & cocti ad conſiſtentiam iuſtam triplum. Opium, & tragacanthum in vino diſſolvantur, cæteraque in ſubtiliſsimum pulverem reducantur, & cum melle ſiat electuarium S.A.

### *VIRES.*

R*Equies appellata ab effectu; quod dolorem obtundat, ac mitiget, caloremque febrium mitiorem reddat, & ijs, qui hanc ſumunt, requiem afferat. Eſt etiam vtilis temporibus, & pulſibus manibus inuncta, cordis dolorem lenit, ſomnumque conciliat.* Doſis à ℈j. ad ʒj.

### *TRIPHERA MAGNA NICOLAI Salernitani.*

℞. Opij ʒii. cinnamomi, caryophyllor. ganlangæ, ſpicę, Zedoariæ, Zingiberis, coſti, ſtyracis calamitæ, cyperi, calami aromatici, Iridis, peucedani, acori, corticum radicum mandragoræ, roſarum rub. Nardi celticæ, piperis, aniſi, apij, petroſelini, fœniculi, dauci, hyoſcyami, hyſſopi, ſeminis ocymi, ſinonis, ideſt petroſelini ſylveſtris ana ʒj. Mellis deſpumati, & cocti triplum. Opium in vino diſſolvatur, ſtyaax in mortario calido piſtetur, & cum pauco mellis diſſolvatur; reliqua in ſubtiliſsimum pulverem reducantur, omniaque miſceantur, vt fiat electuarium. *Sinon.*

### *VIRES.*

C*Octionem ventriculi, & hepatis ſuo calore iuvat, obid flatus diſsipat, humores in ventricalo, & alijs viſceribus putres abſumit, oris, ac corporis reliqui odorem em endat*



*dat, laſsitudinem tollit, ſanitatem præſentem tuetur, ac morborum generationem prohibet.* Doſis à ʒß. ad ʒij.

### *TRYPHERA SARRACENICA EX MESVE.*

℞. Quinque generum Myrobalanorum, amygdalarum dulcium, & amarar. ana ʒv. Cinnamomi, Trium piperum, ſecacul, ideſt ſileris, pro eo radycis eringij, ſeu paſtinacæ ſylveſtris, folij, ſpicæ, cardamomi maioris, & minoris, caſsiæ ligneæ, cyperi, ſem. Apij, linguæ avis, caryophyllorum, behem albi, & rubri, Lepidij, ideſt ſeitaragi, pro eo ſem. Naſturci, Zingiberis, ana ʒij. Nucis moſchatæ, ſpicæ celticæ, macis, ſeſami excorticati, ligni aloes, Rhabarbari, ſem. fœniculi, Maſtiches, ana ʒiij. ocymi, menthæ ſiccæ, & origani ana ʒiß. Myrobalani triti fricentur cum butyro vaccino recente non ſalito; aliæ verò ſpecies cum oleo amygdalarum dulcium, & fiat confectio cum triplo mellis deſpumati, & cocti

*Sicacul, pro eo quid.*

*Lepidium pro eo quid*

### *VIRES.*

C*Oncoctionem ventriculi, & hepatis ſuo calore iuvat, obid flatus diſsipat, humores in ventriculo, & alijs viſcerum partibus abſumit, oris, & corporis odorem, & colorem emendat, laſsitudinem tollit, ſanitatem præſentem tuetur, & morborum generationem prohibet, venerem auget, hæmorrhoides ſanat.* Doſis à ʒj. ad ʒiij.

### *DIACALAMENTHVM NICOLAI.*

℞. Calamenthi, pulegij, hyſſopi, melanopiperis, & ſem. petroſelini ana ʒvij. & ℈j. leviſtici ʒij. & ℈ij. ſem. apij, ℈ij. ameos, thymi, anethi, cinnamomi, & Zingiberis ana ℈iv. Subtiliter pulverentur, & cum triplo, mellis deſpumati, & ad conſiſtentiam cocti fiat electuarium S.A.

VI-

## *VIRES.*

*TEnaces, & viſcidos humores attenuat; flatus craſſos diſſipat, indeque natum ſingultum ſolvit: coctionem, & alimenti in corpus diſtributionem iuvat, affectus ventris frigidos ſanat, vrinam, ac menſes promovet: datur poſt prandium, & cænam.* à ʒi. ad ʒiij.

## *ELECTVARIVM CHALYBEATVM Auguſtanæ.*

℞. Limaturæ chalybis pp. ℥vij. cinnamomi, nucis moſchatæ, thabarbari, & ſpecierum aromatici roſati ana ʒvj. mellis, & ſacchari ſy rupiſatorum ana ℥xiij fiat electuarium S. A.

## *VIRES.*

*PRodeſt in obſtructionibus quibuſcumque, & menſes cieti* Doſis à ʒj. ad ʒiij.

## *ELECTVARIVM CHALYBEATVM Lemortis.*

℞. Croci martis aperitivi ℥ij. Cremoris tartari ℥iv. cinnamomi, macis, rhabarbari, corticum arantiorum exterior. & cyperi rotundi ana ʒij. galangæ ʒiß. Mellis deſpumati, & cocti ℥viij. ſacchri clarificati, & cocti ℥xiv. fiat Electuarium S. A.





## *VIRES.*

*LEniter purgat, obſtructiones quaſcumque ferè tollit, præcipuè cachexias mulierum, & virginum, menſes pellit, ictero medetur.* Doſis à ʒj. ad ʒiij.

Si pro cremore tartari imponantur ℥ij. tartari martialis ſolubilis, præſtantius erit in operationes ſuas.

## *ELECTVARIVM DE ARTEMISIA Nicolay Gervaſij.*

℞. Artemiſæ ℔ß. Sabiræ, ariſtolochiæ vtriuſque, orobi, & lupinorum ana ℥iiß. pulegij. ſem. aniſi, & fœniculi ana ʒx. pulverentur, & cum triplo mellis deſpumati, & ad iuſtam conſiſtentiam cocti fiat electuarium S. A.

## *VIRES.*

*MEnſtrua, & lochia ſupraſſa provocat, partum accelerat, fœtum mortuum expellit morbiſque omnibus, qui ab vtero ſuos natales agnoſcunt conducit.* Doſis à ʒj. ad ʒij.

## *PHILONIVM MAGNVM, SEV ROMAnum, ex Nicolao Myrepſio.*

℞. Piperis albi, & ſem. hyoſcyami ana ʒv. opij ʒiiß. caſsiæ ligneæ ʒiij. ſem. apij, mirrhæ, & caſtorij ana ʒi. ſem. petroſelini, fœniculi, & Dauci cretici ana ℈ii, & gr. v. croci ℈i. Nardi Indicæ, pyrethri, & Zedoariæ ana gr. xv. Opium diſſolvatur cum vino, cæ-

tera ſubtiliter pulverentur, & cum triplo mellis deſpumati, & cocti fiat electuarium S. A.

## VIES.

C*Olicos affectus; cæterarumque partium lethales dolores ventris, hypochondriorum ventriculi, uteri, hepatis, lienis, renum, ab intemperie frigida, flatibus craſsis, aut crudis humoribus excitatos ſedat, tuſſes intenſiſsimas, ſuffocationis periculum minantes, ex cordis, aut pulmonis incendio, ſingultum etiam vehementem, nec non vrinæ difficultatem liberat, ſanguinis eductionibus, tabidis, ſuſpirioſis, pleuriticis confert, hæmorrhagiam ſiſtit, inſomnia levat, & ſomni conciliatione vires reficit, ac recreat, doloreſque omnes abigit. Sed in colicis affectibus præcipuam habet dignitatem, eique affectui adhibet Galenus lib. 2. de locis affect. doloris enim magnitudo ſæpè totam in ſe curationem intendit, & in miſeram vitæ deſperationem pleroſque conijcit.* Doſis ʒi.

## PHILONIVM PERSICVM EX MESVE.

℞. Piperis albi, & hyoſcyami albi ana ʒx. opij, & terræ lemniæ ana ʒv. lapidis hæmatitis, & croci ana ʒiiß. caſtorij, ſpicæ, euphorbij, pyrethri, margaritarum, charabe, zedoariæ, trochiſcorum Ramich, & Doronici, ſeu in eius defectu caryophyllor. aromat. ana ʒß. camphoræ ℈ß. Mellis deſpumati, & cocti triplum, fiat electuarium. S A.

*Doronicum in eius defectu quid.*

## VIRES.

V*Alet ad uteri hæmorrhagiam, & procidentiam, hæmorrhoidas, & cruentas excretiones per inferna; ſanguis ſputum, ac menſtruorum nimium profluvium compeſcit, & fœtum in utero retinet.* Doſis à ℈j. ad ʒj



## ELECTVARIVM BACCARVM LAVRI EX *Auguſtana.*

℞. Folior. rutæ domeſticæ ʒx. ſem. ameos, cumini, nigellę, liguſtici, dauci, carui, calami aromatici, origani, amygdalarum amar. per ſetaceum extract. piperis nigri, & longi, menthaſtri, Baccar. Lauri, & Caſtorij ana ʒii. ſagapeni ℥ß. opopanacis ʒiii. Mellis deſpumati, & cocti triplum ponderis omnium, hoc eſt ℔i. ℥iv. & ʒvi. fiat electuarium. S. A.

## VIRES.

P*Rodeſt in colica ventoſa, in ſupræſsione vrinæ, hyſtericis affectibus ad menſtrua excitanda, &c.* Doſis à ℈j. ad ʒi. *etiam in Clyſteribus* à ʒii. ad ʒvi.

## ELECTVARIVM E SASSAFRAS.

℞. Ligni Saſſafras odoratiſsimi ℥ii. aquæ fontanæ ℔iij. coque ad tertiæ partis conſumptionem, addendo ſub finem cinnamomi fracti ℥ß. Colatura cum ſacchari albi ℔ii. coquatur in ſyrupum craſsioris conſiſtentiæ, ſuperinijciendo pulveris cinnamomi ʒi. nucis moſchatæ ℈ß. Moſchi gr. iij. Ambr æ griſſeæ gr. xxii. folior. auri N. X. ſpiritus vitrioli gut. jv. fiat electuarium S. A

## VIRES.

S*Tomachum roborat, ſpiritus auget, cor exhilarat, &c.* Doſis à ℈ii. ad ʒii.

## *ELECTVARIVM BACCARVM JVNIPERI.*

℞. Baccarum Juniperi ſucculentium contuſſar. ℔i. infunde in aquæ ℔ii. per 24 horarum ſpatium, colaturæ adde ſacchari ℔i. coque ad ſyrupi craſsioris conſiſtentiam; tunc adde Flectuarij, è Saſſafras ℥iv. diſſolve, & addè in ſubtiliſsimum pulverem calami aromatici ʒiß. Macis ʒi, croci ʒii. fiat electuar. S. A.

### *VIRES.*

D*Iureticum, & ſtomachicum eſt inſigne. flatus diſcutit, digeſtionem iucat, &c.* Doſis à ℈i. ad ʒiß.

## *DIASATIRIVM VSITATVM MESVES.*

℞. Cicerum ℔ß. bulliant in aqua vna ebullitione, illa aqua reijciatur, & cicera inijciantur in aquæ tepidæ ℔xv. coquantur ad decem librarum conſumptionem, colaturæ accipe ℔iii. & coque in eis ſecacul, pro eo corticum radicis eringij. ℔i. ad mollitiem, & aquæ ferè ad conſumptionem, & ſerva: tunc accipe teſticulorum vulpis, ideſt radicum ſatyrij ℥viij. radicis raphani domeſtici ℥iii. Luph plani ℥ii. Terantur, & coquantur ad mollitiem, in ſufficienti quantitate lactis vaccini, ſeu ovini, cum olei ſeſami, & butyri vaccini recentis non ſaliti ana ℥iv. ad conſumptionem lactis; hinc conterantur in mortario lapideo, & extrahatur pulpa per ſetaceum equinum, cui adde ſupradicta ſervata, iterum terantur, & extrahantur, eiſque adde mellis deſpumati ℔vi. ſucci cæpæ recentis ℔ß cerebrorum paſſerum (Vulgo Gorriones) ℥ii. coquantur omnia ſimul ad mellis craſsitiem, & extra ignem adde pineorum per ſetaceum traiector. ℔iß. piſtacio-

*Secacul vice quid.*
*Teſticulus vulpis quid*
*Paſſer ſimpliciter quid.*





rum mundator. ℥x. & in pulverem redacta ſequentia caudarum, & lumbor. ſcinci ℥j. ſem. erucę, Zingiberis, behen albi, & rubri, linguæ avis, ſem. napi, & aſparragi ana ℥ß. Moſchi electi ʒj. fiat electuarium. S. A. vſuique repone.

### *VIRES.*

S*Emen auget, ac promovet, veneremque concitat.* Doſis ab ℥ß. ad ℥j. *cum vino.*

## *ELECTVARIVM ANTIVENEREVM.*

℞. Florum ſtœchadis, ſummitatum ſalviæ, & granorum ebuli maturor. ana ℔ß. radicis Iridis, helenij, & granor. maturor. ſambuci ana ℥iv. præparata ad infuſionem, infundantur in ℔vj. vini albi optimi, in vaſe vitreo optimè clauſo, ſupra cineres calidos per dies quatuor, poſtea coletur infuſio, colaturaque ſervetur: ſupra reſiduum inijce ℔iv. vini, & procede vt antea: mox cum colaturis, & mellis ℔iv. fiat ſyrupus lento igne, coletur, & in eo diſſolve extracti baccarum Juniperi, & Hamech compoſiti ana ℥jv. Theriacæ Magnę ℥ij. deinde adde in ſubtiliſsimum pulverem: Ligni guaiaci reſinoſi & ſmilacis aſperæ ana ℥jv. folior. ſennæ ℥ij. corticum radicum ellebori nigri, & Panaceæ Mercurialis ana ℥j. fiat electuarium.

### *VIRES.*

N*ON ſolum ad humores venereos, ſed etiam podagram, & chiragram, ſcrophulas, & ſimiles infirmitates, ex humoribus viſcidis, tartareis, & ſimilibus provenientes eradicandos mirificè prodeſt.* Doſis à ʒij. ad ℥ß. (*ægroto antea præparato*) *ſubmane, per aliquos dies continuando.*

## DIATVRBITH CVM RHABARBARO *Montagnanæ.*

℞. Rhabarbari ʒx. turbith, & hermodactyllor. ana ℥i. Diagrydij ℥ß. Zingiberis, ſantali albi, & rubri, & violar. ana ʒiß. maſtiches, aniſi, cinnamomi, & croci ana ʒß. ſacchari ſyrupiſati ℔i. ℥ij. & ʒij. fiat electuarium. S. A.

### VIRES.

F*lavam bilem, & pituitam educit, atque aqua inter cutim laborantibus mirifice confert, ad vermes etiam efficaciſsimum eſt medicamentum, & valdè idoneum.* Doſis à ʒj. ad ℥ß.

## DIACASSIA CVM MANNA.

℞. Prunorum Damaſcenorum ℥ij. flor. violar. M. iß. aquę fontanæ ℔iß. Bulliant ad medietatis conſumptionem, cola, & in colatura diſſolve: Pulpæ caſsiæ ℔ß pulpæ tamarindorum ℥j. mannæ electæ ℥ij. ſyrupi violar. & ſacchari violati ana ℥iv. ſacchari canti, & penidiorum ana ℥j. fiat electuarium. S. A.

### VIRES.

L*enit viſcera, ſubducit alvum, purgat choleram, & mitigat febres.* Doſis ab ℥ß. ad ℥iij.

## ELECTVARIVM DE SEBESTE *Bartholomei Montagnanæ.*

℞. Sebeſten ſine nucleis, prunorum ſiccor. enucleator.

&



& tamarindorum ana ℥v. aquæ violar. ℔j. aquę Ireos, & aq. anguriæ ana ℔ß. ſucci Mercurialis depurati ℥iv. penidior. ℥viij. Diaprunis ſimplicis ℔iß. quatuor ſeminum frigidor. maior. mundator. ana ℥ij. Diagridij ʒiij. Caro ſebeſten, tamarindor. & prunor. extrahatur cum ſupradictis aquis per ſetaceum; ſeminaque excorticata per ſetaceum extrahantur, omniaque miſceantur, vt fiat electuarium. S. A.

### VIRES.

C*onfert febribus cholericis interpolatis, & continuis, ſedat acuitatem febrium, ſitim, & vigilias, & etiam amaritudinem removendo, & eluit materias, à vijs vrinalibus, & veſica.* Doſis à ʒi ad ʒvj.

## DIAPRVNIS SIMPLEX NICOLAI.

℞. Prunorum Damaſcenor. recent. q. v. coque ad mollitiem, & extrahe pulpam per ſetaceum equinum: in aliqua, portione aquę, in qua pruna cocta fuere, coque ℥iß. florum violarum, poſtea expreſsis violis, in colatura diſſolve ſacchari ℔ij. pulpæ prædictæ ℔j. coque ad conſiſtentiam iuſtam, & hinc adde pulpę tamarindorum, & pulpæ caſsiæ cum prædicta colatura prunorum diſſolutarum ana ℥j. iterum coque ad ſyrupi craſsitiem, & frigefacto adde in pulverem redacta: ſantali albi, & rubri, ſpodij, rhabarbari, & cinnamomi ana ʒiij. roſarum, violarum, ſeminis portulacæ, ſcariolæ, & beber. ſucci liquiritiæ, & gummi tragacanthi ana ʒij. quatuor ſemin. frigidor. maior. ana ʒj. fiat electuarium.

*** *** ***

### VIRES.

*Datur in acutis, ac per acutis infirmitatibus, in quacumque hora.* Doſis à ʒiij. ad ℥j.

### DIAPRVNIS COMPOSITVM.

℞. Diaprunis ſimplicis ℔j. Diagrydij ʒvij. tartari ſolubilis ʒij. Diagrydium, (intelligitur hic ſcammonium abſque vlla præparatione) & tartarus ſolubilis optimè miſceantur in mortario marmoreo, deinde cum Diapruais miſceantur exactè, vſuique ſervetur.

### VIRES.

*Leniter, ac ſecurius purgat; vtiliter datur morbis renum, & veſicæ, febribus, & alijs affectibus calidis* Doſis à ʒi ad ʒvj.

### DIAPHOENICON MESVES.

℞. Dactyllorum immaturorum in aceto albo per triduum maceratorum, & per ſetaceum equinum traiector. ℥i ß. mellis deſpumati, & cocti ℔iiß. & ʒvj. penidij ℔ß. & ʒij. Penidium diſſolvatur in aqua, & coquatur ad mellis conſiſtentiam, ac miſceatur cum melle, & eis miſce Dactyllos extractos; deinde adde in pulverem redacta: turbith ℥jv. ʒiij. Zingiberis, piperis longi, folior. rutæ, cinnamomi, macis, ligni aloes, aniſi, fœniculi, dauci, & galangæ ana ʒiiß. & cum frigefacta ſint, amygdalar. dulc. per ſetaceum traiector. ℥iij. & ʒvj. ſcammonij pulverati ℥iß. vt fiat electuarium. S. A.

VI-



### VIRES.

*Purgat humorem crudum, & bilioſum, colicis cruciatibus confert, dolori ventriculi, & al ijs ex crudo humore ortis.* Doſis à ʒii. ad ʒ vi.

### DIASENNA NICOLAI.

℞. Sennæ mundatæ ℥iii avellanarum toſtarum N. L ſerici crudi, caryophyllor. galangæ, piperis, ſpicę ocymi, folior. caryophyllorum, pro eis caryophyllor cardamomi, croci, zingiberis, zedoariæ, flor. roris marini, & macropiperis ana ʒii. Lapidis Armeni loti, & pp. ʒi. Lapidis Lazuli loti, & pp. ʒiij. cinnamomi ℥i. Mellis deſpumati, & cocti ℔ii. Crocus exiccatus perſe teratur ſubtiliter, & cum melle miſceatur: avellanę per ſetaceum equinum extrahantur, cæteraque in ſubtiliſsimum pulverem reducantur, omniaque miſceantur, vt fiat electuarium. S. A.

### VIRES.

*Succurrit melancholicis, mania vexatis, & quartana, triſtitia affectis, lienoſis, &c.* Doſis à ʒii. ad ʒvi.

### CONFECTIO HAMECH EX MESVE.

℞. Myrobalanor. Citrinor. ℥iv. Chebulor. & Indorum; Rhabarbari, violarum, & epithymi ana ℥ii. Agarici, Colocynthidis, & polypodij ana ʒx. ſeminis aniſi, & fœniculi ana ʒ vi. Abſynthij, thymi, & ſennæ ana ℥i. prunorum ſine oſsibus N. LX. paſſularum ſine acinis ℔ß. ſucci fumariæ ℔i. Infundantur per dies

Q 3 quin-

quinque in ſufficienti quantitate ſeri lactis, in vaſe vitreo, ſeu vitreato anguſti oris optimè obturato, poſtea exprimantur, & colentur, cuius colaturæ adde mannæ ℥ii. pulpæ caſsiæ fiſtulæ ℥iv. tamarindor. ℥v. fricentur manibus, & colentur, colaturæ adde ſacchari ℔iß. ſcammonij ℥iß. coquantur ad conſiſtentiam mellis, & addantur in pulverem redacta: quinque generum myrobalanorum ana ℥ß. Rhabarbari, & ſem. ſumariæ, ana ʒiii. ſpicæ, & ſem. aniſi ana ʒii. fiat electuarium, ſeu confectio.

## *VIRES.*

*Utramque bilem, & pituitam ſalſam purgat; obid morbis inde natis, impetigini, ſcabiei, elephantiæ, cancro exedenti, & ſimilibus morbis mirificè confert; unde omni fœditati à bilioſis, & aduſtis humoribus procreatæ quàm maximè conducit; in quartanis feliciter datur cum ellebori decocto, ſeu infuſo.* Doſis à ʒi. ad ℥ß.

## CONFECTIO HAMECH MINOR, SEU *Simplex.*

HÆC confectio venit in oficinis ſub nomine confectionis hamech maioris, ſeu compoſitæ; qualis eſt præſcripta: & etiam confectionis hamech minoris, ſeu ſimplicis, & eſt hæc eadem ſine ſcammonio, & colocynthide.

## ELECTUARIUM CARIOCOSTINUM *ex Petro Bayro.*

℞. Hermodactyllor. albor, & Diagrydij ana ʒii. Coſti; cy-



cymini, Zingiberis, & caryophyllor. ana ʒi. Pulvecentur, & fiat electuarium cum quadruplo ſyrupi facti ex mellis, & vini albi partibus æqualibus.

## *VIRES.*

*Prodeſt in infirmitatibus iuncturarum, & muſculorum; bilem utramque evacuat, cachexiam, & ex illa provenientibus morbis varijs conducit. Obſtructionibus viſcerum reſerat, eorundem duritiem attenuat, & emollit Inſuper contra podagram, & omnes ſimiles.* Doſis à ʒii. ad ʒvi.

## ELECTUARIUM LENITIVUM EX *Valerio Cordo.*

℞. Paſſularum enucleatarum ℥ii. Capillor. veneris violarum, & hordei mundi ana M. j. juiubarum, & ſebeſten ana N. xx. glyzyrrhizæ ℥ß. carnis prunorum, & tamarindorum ana ʒvj. ſennæ, & polypodij ana ℥ii. mercurialis M. iß. coquantur S. A. in aqua fontana, hinc colentur, & in colatura diſſolve: pulpæ caſsiæ, pulpę tamarindorum, pulpæ prunorum, ſacchari optimi, & ſacchari violati anna ℔ß. coquantur ad ſyrupi craſsioris conſiſtentiam, cui adde pulveris folior. ſennæ ℥iiiß. vſuique repone.

## *VIRES.*

*Vſus eius eſt in febribus humoralibus, & pleuritide: lenit, & emollit inteſtina, & delet eorum ſtypticitatem, facilè ſolvit ſine moleſtia, & leſione choleram phlegmaticam, & melancholicam.* Doſis à ʒii. ad ʒvj.

## ELECTVARIVM ROSATVM MESVES.

℞. Succi Roſarum rubrar. ℔iv. ſacchari optimi ℔jß. Mannæ electæ ℔ß. ſcammonij electi ℥iß. coquantur lento igne cinerum ad mellis conſiſtentiam, & tunc adde ſequentia in pulverem redacta: Trochiſcor. de Berberis ℥ß. Trochiſcor. de ſpodio ℥j. Galliç Moſchatç ex Meſue, & croci ana ʒii. fiat electuarium. S. A.

### VIRES.

*Cholagogum hoc ſalubre eſt bilioſis affectibus, arthritidi calidæ, cephalalgiæ, vertigini, oculorum dolori, ictero, ſanguinis quoque fervorem bilioſum frenando expurgat.* Doſis à ʒj. ad ʒv.

## ELECTVARIVM DE SVCCO ROSARVM *Nicolai.*

℞. Succi Roſar. rub. & ſacchari albi ana ℥xvj. Diagrydij ℥iß. trium ſantalor. ana ʒvj. ſpodij ʒiij. Camphorç ℈j. fiat electuarium coquendo ſaccharum cum ſucco ad mellis ſpiſsitudinem, deinde addendo reliqua pulverata.

### VIRES.

*Commendatur ad affectus, in quibus bilis flava redundat, quam expellit citra moleſtiam; ad morbos articulorum, ex bilioſis, & calidis humoribus natos, ad febreſque tertianas confert.* Doſis à ʒij. ad ℥iß.





## ELECTVARIVM DE CROCO MARTIS *ſolutivum Petri Poterij.*

℞. Conſervarum Borraginis, Violarum, & Roſarum ana ℥i. ſolior. ſennæ ʒvj. croci martis aperitivi ʒv. ſyrupi de pomis Regis Saboris q. ſ. vt fiat electuarium, cui adde olei aniſi gt. viij.

### VIRES.

*Iſtius electuarij vires ſunt per inſcrutabiles. In cachexia mirificè prodeſt. Obſtructiones tam iecoris, quam lienis optimè reſerat.* Doſis à ʒj. ad ʒiij.

## ELECTVARIVM DE CASSIA DONZELLII.

℞. Liquiritiæ ℥ij. ſeminis malvarum, & quatuor ſem. frigidor. maior. ana ℥i. capillor. veneris M. j. fiat decoctio in aquæ malvæ diſtillatæ ℔vj. colaturam coque cum ſacchari albi ℔iij. illique circiter perfectè coctæ immiſce, pulpç caſsiæ ℔ij. pulpæ tamarindorum ℔ß. coque ad formam electuabij aromatizandi cinnamomi acuti pulverati ℥j.

### VIRES.

*Confert in purgandis renibus, in ardore vrinæ, & gonorrhæa.* Doſis ab ℥j. *mane per plures dies continuos, ſuperbibendo aqua Capillorum veneris, vel anguria parum.*

## ELECTUARIUM INDUM MAIUS
*Meſues.*

℞. Caryophyllor. cinnamomi, ſpicæ, roſarum, caſsię ligneæ veræ, macis, & cyperi ana ℥ß. ſantali citrini ʒiiß. ligni aloes, & nucis moſchatæ ana ʒij. turbith boni ℥vj. & ʒij. ſacchari, & penidij ana ℥iiß. galangæ, cardamomi vtriuſque, aſari, & maſtiches ana ʒ ß. ſcammonij in cythonio cocti ℥iß. Pulverentur omnia, & cum oleo amygdalarum dulcium fricentur, & conficiantur cum ſyrupo ſequenti.

℞. ſuccorum Cythoniorum, granatorum, apij, & fœniculi ana ℔iß. Mellis ℔ijvß. fiat ſyrupus craſſus, cum quo miſceantur pulveres, vt fiat electuarium.

### VIRES.

PVrgat ventrem totum inferiorem, atque adeò iuncturas, pituitam etiam putrem, flatuſque diſsipat, & affectibus inde natis; dolori colico, & nephritico, ventriculi, & aliorum viſcerum confert. Doſis à ʒij. ad ʒvj.

## ELECTUARIUM INDUM MINUS
*Eiuſdem.*

℞. Turbith ℥xiiß. macis, piperis, Zingiberis, caryophylor. cinnamomi, & nucis moſchatæ ana ʒvij. ſcammonii ℥i ß. ſacchari ℥xiiß. mellis ℔v. & ℥viij. fiat electuarium S. A. *Convenit cum priori.*

***





## DIACATHOLICA COMPOSITIO EX NICOLAO.

℞. Polypodij quercini mundati, & contuſi ℔j. aquæ puræ tepidę ℔xij. coquantur ſimul in vaſe vitreato, ad medietatis aquæ conſumptionem, tunc removeatur ab igne, & vaſe obturato, remaneat per ſex horarum ſpatium; mox iterum adhęreat igni, & quando tepeſiat coletur, & cum aliqua portione colaturæ extrahe pulpæ caſsiæ fiſtulæ, & pulpę tamarindorum ana ℥viij. lento igne coquantur, ſemper ſpatula lignea movendo, in vaſe vitreato, ad mellis craſsitiem: in reliqua portione decocti diſſolve penidiorum, & ſacchari canti ana ℥ß. ſacchari optimi ℔viij. coquantur ad ſyrupi craſsioris conſiſtentiam, cui, percolato adde pulpas, & optimè in eo diſſolve eas, deinde adde in pulverem reddacta ſequentia: Sennæ mundatæ ℥viij. Rhabarbari, florum violarum, anisi, & polypodij ana ℥iv. liquiritiæ ℥ß. quatuor ſeminum frigidor. maior. mundator. & per ſetaccum equinum traiectorum ana ℥j. fiat electuarium.

### VIRES.

SVa ve, ac mite acutis, ac per acutis morbis confert, emollit, & alterat, robur addit iecinerosis, lienoſis, & arthriticis; tertianis, quartanis, & quotidianis febribus adverſatur: doloribus itidem capitis auxilio eſt, univerſos denique corporis humores blandè, ac inoxiè educit. Doſis ab ℥ß. ad ℥j.

*** *** ***
*** ***
***

## *DIACATHOLICA PRO CLYSTERIBUS Lemeri.*

℞. Decocti foliorum mercurialium, maluæ, violarum, parietariæ, & fœniculi ℔viij. in quibus diſſolve mellis optimi ℔viij. coquantur ad opiatæ conſiſtentiam, & adde pulpæ prunorum ℔ij. pulveris folior. ſennæ, radicis Bryoniç, & ſeminis violarum ana ℥viij. ſeminis aniſi, & ſalis gemmç ana ℥ij. fiat electuarium. S. A.

## *BENEDICTA LAXATIVA EX Arnaldo de Villanova.*

℞. Turbith electi, eſulæ, & ſacchari ana ʒx. Diagrydij, hermodactyllor. & roſarum ana ʒv. caryophyllor. ſpicæ, Zingiberis, croci, ſaxifragiæ, macropiperis, amomi, cardamomi minoris, ſeminis apij, petroſelini, milij ſolis, fœniculi, aſparragi, carui, bruſci, ſalis gemmæ, galangæ, & macis ana ʒj. pulverentur, & fiat electuarium cum ℔iß. mellis deſpumati, & cocti.

### *VIRES.*

H*Vmores pituitoſos ad articulos potiſſimum decumbentes elicit, colicis prodeſt, ad quorum enemata plurimum expetitur. Arenibus quoque, & veſica purgat. Sed in calida cauſa ab eius vſu deſiſtendum.*

Doſis à ʒij. ad ʒvj.





## *HYERA MAGNA GALENI.*

℞. Cinnamomi, ſpicæ, aſari, croci, ſchœnathi, caſsiæ ligneæ, xylobalſami, carpobalſami, violarum, abſynthij, epithymi, agarici, roſarum, turbith, colocynthidis, & maſtiches ana ℥j. Aloes ℥xvj. Mellis deſpumati, & cocti ℔iij. & ℥viij. Crocus exiccatus pulveretur, & miſceatur cum melle, agaricus extrahatur per ſetaceum equinum, pulpa colocynthidis per ſe ſubtiliter pulveretur, aloe etiam ſuccotrina per ſe pulveretur; cæteraque pulverata, omnia cum melle frigefacto miſceantur optimè, vt fiat electuarium.

### *VIRES.*

P*Rodeſt ad diverſas capitis, oculorum, & aurium diſtemperantias, ſtomachum purgat, affectiones hepatis emendat, ſplenis duritiem, & denſitatem emollit, & extenuat, renibus, & veſicæ prodeſt, matricis diſtemperantiam emendat.* Doſis à ʒj. ad ʒiij. *etiam in clyſteribus* ad ℥j.

## *HYERA LOGADII, SEU LOGODIONIS.*

℞. Pulpæ colocynthidis, pulpæ ſcyllæ aſſatæ, agarici, gummi, ammoniaci, thymi, & ſcammonij ana ℥iiß. corticum radicis ellebori nigri, & hyperici ana ʒx. epithymi, Bdelli, polypodij, aloes, chamędryos, marrubij, & caſsiæ ligneæ ana ℥i. myrrhæ, trium piperum, cinnamomi, croci, opopanacis, ſagapeni, caſtorij, ſeminis petroſelini, & radicis ariſtolochiæ longæ ana ℥ß. Mellis deſpumati, & cocti quadruplum ponderis omnium (excepta ſcylla) Pulpa ſcyllæ diſſolvatur cum melle, cæteraque in pulverem redacta,

( vt in Hyera Magna ) miſceantur, vt fiat electua-rium.

### *VIRES.*

S*Anat morbum comitialem, ad dolores pectoris, lateris, iuncturarum, & ſimilium prodeſt; etiam in appoplexia, paralyſi, & melancholia.* Doſis à ʒj. ad ʒvj.

*Hyera Logadij in pulvere.*

Solet etiam ſervari in pulvere, & tunc myrrha, opopanax, caſtorium, ſagapenum, polypodium, ariſtolochia, Bdellium, Colocynthis, & crocus ſubtiliter pulverantur: aloe, & agaricus ſeorſum per ſetaceum equinum cribantur: ſcammonium quia reſinoſum ſubtiliter pulveretur; cæteraque per ſetaceum equinum cribentur, ſumendo, pro pulpa ſcyllæ, ſcyllam Trochiſcatam.

## *HYERA DIACOLOCYNTHIDOS.*

℞. Medullæ, ſeu pulpæ colocynthidis ℥jv. marrubij, agarici, chamedryos, & ſtœchadis ana ʒx. opopanacis, ſagapeni, ſeminis petroſelini, ariſtolochiæ, & piperis albi ana ℥j cinnamomi, croci, mirrhæ, ſpicæ nardi, & ſchœnanthi ana ℥ß. mellis deſpumati, & cocti quadruplum ponderis omnium, conficiatur, vt Hyera Logadij.

### *VIRES.*

P*Rodeſt in dolore capitis inveterato, humores craſſos, & viſcoſos ex quacumque corporis parte evacuat: in lue venerea cum permiſtione aquilæ albæ, mirificè dolores iuncturarum tollit.* Doſis à ʒß. ad ʒiij.

*Hyera Diacolocynthidos in pulvere.*

Etiam ſervatur in pulvere, vt Hyera Logadij, & tunc etiam paratur ſimili ratione.





## *DIACARTHAMUM GUIDONIS.*

℞. Pulveris Diatragacanthi frigidi, & turbith ana ℥i. carnis cydoniorum ſaccharo conditæ ℥ij. Zingiberis, & hermodactyllor. ana ℥ß. medullæ ſeminis carthami per ſetaceum equinum traiectæ ʒvj. Diagrydij ʒiij. mannæ electæ, & mellis roſati colati ana ʒij. ſacchari ſyrupiſati ℥xvj. Caro cydoniorum condita, & manna piſtentur, & optimè miſceantur cum pauculo ſupradicti ſacchari ſyrupiſati: medulla carthami etiam cum tantillo ſyrupi exactè miſceatur: cum reliquo ſyrupo miſceantur reliqua in pulverem redacta, mox ſoluta, & vſui confectio reponatur.

### *VIRES.*

*Choleram, & phlegma evacuat.* Dos à ʒj. ad ℥ß.

## *DIATARTARUM PETRI CASTELLI.*

℞. Tartari albi ſubtiliter pulverati, & ſolior. ſennæ ana ℥jß. mannæ electæ, & ſacchari rubri ana ℥viij. Zingiberis, aniſi, cinnamomi, & galangæ ana ℥j. ſyrupi roſati ſolutivi ℥XL.

Saccharum, & manna clarificentur, & ad ſyrupi conſiſtentiam coquantur, & cum ſyrupo roſato miſceantur, quibus cætera pulverata permiſceantur, vt fiat electuarium.

### *VIRES.*

O*Mnes humores purgat, rarefacit materias craſſas, & viſcidas, obſtructiones tollit in cachexia, in hipocondriacis, &c.* Doſis à ʒij. ad ℥j

## DIACYDONIVM LAXATIVVM *Auguſtanæ.*

℞. Gelatinæ cydoniorum ℔iij. ſacchari ℔iß. coquantur ad debitam gelatinæ conſiſtentiam; cui admiſce paulatim ab igne remotæ, extracti folior. ſennæ ℥j. extracti Rhabarbari ℥ß. reſinæ ſcammonij ʒiij. vel ℥ß. in ſpiritu vini diſſolutorum, & filtratorum, & frigefactum miſce ol. cinnamomi gt. viij. ol. aniſi gt. vj. imple ſcatulas. Doſis à ʒj. ad ʒvj. Alij, loco extracti Rhabarbari, ſumunt extractum Mechoacannæ ob colorem.

## DIACYDONIVM SOLVTIVVM PELVCIdum *Eiuſdem.*

℞. Reſinæ Jalappæ ℥iv. diſſolvatur in pauco ſpiritu vini rectificatiſſimo, & permiſceatur diligentiſſimè agitando cum ℔iijß. gelatinæ cydonioru͂ ad perfectam conſiſtentiam coctę. Imple ſcatulas. Doſis à ʒß. ad ℥ß.

## DIACYDONIVM LVCIDVM SCAMMONIAtum, *ſeu laxativum.*

℞. Scammonij ℥iv. extrahe tincturam cum ſpiritu vini; poſtea fiat Cydoniatum ex ſucci cydoniorum ℔iij. ſacchari ℔j. tincturam paulatim affunde, ac miſce exactè, & imple ſcatulas. Doſis à ʒi. ad ʒiiß.

* * *





## LOHOCH, SEV DIACODION SIMPLEX *Galeni.*

℞. Capitum papaveris albi mediocris magnitudinis, nec nimie viridium, nec nimie maturorum N. xx. aquæ pluvialis ℔iij. macerentur hor. 24. hinc coquantur donec capita contabuerint, colaturæ adde ℔ij. mellis, coque ad iuſtam conſiſtentiam. Fit etiam cum ſaccharo eodem modo.

Item cum ſapa hac ratione. *Diacodion cum ſapa.*

℞. Decoctionis prædictæ, & ſapæ vini dulcis ana ℔ij. ſucci glycyrrhizæ ℥ij. coquantur ad iuſtam conſiſtentiam.

## VIRES.

**V**Alet in diſtillationibus, tuſſi, & ſimilibus. Doſis à ʒj. ad ℥ß.

## LOHOCH, SEV DIACODION CROCATVM *Mynſicht.*

℞. Capitum papaveris albi cum ſeminibus N. xx. Siliquarum dulcium abiectis granis, & radicis liquiritiæ raſæ ana ℥iij. ſem. bombacis, altheę, cydoniorum, & granor. myrthi ana ℥ß. ficuum pinguium, dactylorum, & ſebeſten ana N. xj. florum maluæ, arboris rubi, violarum, & iaceæ ana ʒij. Coquantur in ſufficienti quantitate aquę fontanę S. A. poſtea: ℞. Colaturæ ℔ij. ſacchari candi roſati, & penidij ana ℔ß. fiat ſyrupus craſſus, cui circa finem adde ſyrupi ex ſucco florum papaveris erratici, & de Iuiubis ana ℥ij. ex-

tracti croci ʒß. Coquantur ad mellis conſiſtentiam, & aromatizetur cum Galliȩ Moſchatæ veræ ℈ij.

### VIRES.

*In omnibus defluxionibus calidis, tenuibus, acribus, ac ſalſis, ac capite in thoracem, & aſperam arteriam, ex continua tuſsi inſomnium facientibus, ſecretum eſt. Prodeſt etiam iis, qui acutiſsimis doloribus corripiuntur. Confert denique ſanguinis excretioni, menſtruorum nimiæ evacuationi, febribus ardentibus, alvi profluvio, & dyſenteriæ.* Doſis à ʒj. ad ℥ß.

### LOHOCH PAPAVERIS MESVES.

℞. Sem. papaveris albi ℥iij. & ʒj. amygdalar. dulcium mund. nucleorum pineor. gummi arabici, & ſucci liquiritiæ ana ℥j. & ʒij. amyli ʒiij. ſem. portulacæ, lactucæ, & cydoneor. ana ℥ß. croci ʒj. penidij ℥jv. Amygdalæ, & pinei extrahantur per ſetaceum equinum; ſuccus liquiritiæ, & penidium diſſolvantur, & ad ſyrupi craſsioris conſiſtentiam coquantur, cætera pulverentur, & omnia incorporentur cum ſufficienti quantitate ſyrupi ſequentis, vt fiat Lohoch.

℞. Capitum papaveris albi, & nigri recentium ana ℔ß. ſem. lactucæ, & flor. violarum ana ℥iß. coquantur, dum capita intabuerint, in aquæ cucurbitæ ℔viij. cum colatura, & ſacchari ℔jv. aut ſacchari, & mellis ana ℔ij. fiat ſyrupus pro Lohoch conficiendo.

*** *** ***





### VIRES.

*Efficax eſt in diſtillationibus tenuibus, quæ acrem, ſalſam, tenuem, & liquatam materiam in thoracem demittunt: Confert febribus ardentibus, dolenti thoraci, & pleuritidi.* Doſis à ʒj. ad ℥ß.

### LOHOCH LENTIVM AVICENNÆ.

℞. Lentium p. ij. Coquantur modicè, & abijciatur illa aqua: deinde addantur aquæ tepidæ alterius ℔ij. Coquantur ad conſumptionem ℔ß. & adde ſem. papaveris albi ʒij. deinde tranſactis quibuſdam fervoribus addatur p. j. paſſularum enucleatar. & coquantur ad remanentiam ℔j. & adde roſar. rub. ʒiij. coquantur vnico fervore, colentur, & exprimantur, colaturæ adde ſacchari canti ℔ß. Electuarij Diatragacanthi frigidi ℥ij. coquantur lento igne ſemper agitando, ad conſiſtentiam Lohoch.

### VIRES.

*Prodeſt in morbillis, ac variolis ad lambendum.* Doſis à ʒij. ad ℥j.

### LOHOCH CAVLIVM MESVES

℞. Succi caulium depurati, & cocti ad medias, iterumque per ſedimentum depurati, & colati ℔ij. mellis, & Rob ana ℔ß. coquantur in Lohoch.

***

## VIRES.

C*Onfert phlegmati, & maturat materiam eius.* Doſis à ℨij. ad ℥j.

## LOHOCH DE PINO EIVSDEM.

℞. Nucleorum pineorum ℥iiiß. & ℨij. amygdalarum dulcium, avellanarum aſſatarum, tragacanthi, gummi arabici, liquiritiæ, & ſucci eiuſdem, amyli, adianthi, & radicis Iridis ana ℥ß. carnis dactyllor. ℥jv. & ℨ ij. amygdalarum amararum ℨiij. mellis paſſularum, butyri recentis, & ſacchari albi ana ℥ß. Nuclei pineorum, avellanæ, & amygdalæ extrahantur per ſetaceum equinum; ex Dactyllis etiam, & paſſulis extrahatur pulpa per ſetaceum; cætera in ſubtiliſsimum pulverem reducantur, & incorporentur cum mellis ſyrupiſati ℥xiiiß. & ſapæ ℥ß. vt fiat Lohoch.

## VIRES.

T*Vſsi diuturnæ convenit, aſthmati, ſputo viſcido, reſpirationis difficultati, vocis aſperitati, humorum coctioni, & expectorationi; atq. pulmonis, & thoracis affectus, qui ab humorum copia, vel noxia qualitate proficiſcuntur, curat. ſumitur lambendo* ad ℥j.

## LOHOCH SANVM ET EXPERTVM *Eiuſdem.*

℞ Cinnamomi, hyſſopi ſicci, glycyrrhizę, ſem. aniſi, fœniculi, & lini, rad. Ireos, & folior. calaminthæ ana ℥ß.

Iu-



iuiubarum, & ſebeſten ana N. xxx. paſſular. enucleatarum, ſicuum pinguium, & Dactyllorum pinguium ſine oſsibus ana ℥ij. fœnugræci ℨv. capillorum veneris M. j. Coquantur S. A. in ℔iv. aquæ ad conſumptionem ℔iij. in colatura diſſolve penidiorum ℔ij. coquantur ad mellis conſiſtentiam, & adde pineorum per ſetaceum equinum traiectorum ℨv. amygdalarum dulcium mundat. & eodem modo paratarum, & pulverum liquiritiæ, tragacanthi, gummi arabici, & amyli ana ℨiij. Ireos ℨij. fiat Lohoch.

## VIRES.

P*Rodeſt in affecto thoracis, cuius humores potenter incidit, tenuat, tergitque, & humores præſertim frigidos concoquit.* Doſis ab ℥ß. ad ℥j. *lambendo.*

## LOHOCH PVLMONIS VVLPIS EIVSDEM.

℞. Pulmonis vulpis ſicci, ſucci glycyrrhizę, ſeminis aniſi, & fœniculi, & capillor. veneris ana ℥i. Subtiliter pulverentur, & cum ſacchari ſyrupiſati ℥xx. fiat Lohoch, ſeu Eclegma.

## VIRES.

A*Bſtergit; & conſolidat vlcera pectoris mirificè.* Doſis ad ℥i.

## LOHOCH SCYLLÆ EIVSDEM.

℞. Succi ſcyllæ, & mellis deſpumati ana partes æquales: coquantur ad conſiſtentiam Lohoch.

## *VIRES.*

*Ateriam craſſam, lentam, coctu difficilem in partibus reſpirationis, ad expellendam præparat.* Doſis ad ʒij.

## *LOHOCH AD ASTHMA EX VALERIO Cordo.*

℞. Pulpæ ſcyllæ aſſatæ per ſetaceum equinum extractę ℥ß. mellis deſpumati, & cocti ℥ij. miſceantur optimè, & incorporentur cum eis in pulverem redacta, radicis ireos, hyſſopi ſicci, & praſij ana ʒj. myrrhæ rubræ, & croci ana ʒß. fiat Lohoch.

## *VIRES.*

*Valet ad aſthma, & tuſsim antiquam, humoremque craſſum tenuat.* Doſis à ʒß. ad ʒij.

## *LOHOCH DE ALTHÆA QUERCETANI.*

℞. Radicis Althææ optimè mundatæ q. v. Bulliat in Hydromellite communi ad mollitiem, hinc tundatur, & per ſetaceum equinum traijciatur, de cuius muccagine accipe ℥ij. ſpecierum Diatragacanthi frigidi, & Diaireos ana ʒij. Sacchari candidi, & penidiorum ana ℥ß. florum ſulphuris ʒij. ſyrupi capillor. veneris q. ſ. vt fiat ex omnibus Lohoch, de quo ſæpius vtendum cum baculo de glycyrrhyza.

***

VI-



## *VIRES.*

*Xcellens eſt remedium contra omnem tuſsim inveteratam, ſivè à frigida, ſivè à calida orta ſit cauſa; contra aſthma, orthopnæam, & dyſpnæam, alioſque pulmonum affectus; vſus quoque eius eſt in maturanda pleuritide, & ſputo proliciendo, ſicut horum præcipua curatio per anacatharſim inſtituenda.* Doſis ad ℥ß.

## *LOHOCH ANTIHECTICUM.*

℞. Radicum ſymphyti maioris, tuſsilaginis, & enulæ mundæ ana ℥ij. Coque in aqua ad mollitiem, & extrahe pulpam, ac ſerva: hinc ℞. Salviæ acuti, hyſſopi, veronicæ, hederæ terreſtris, & pulmonariæ ana M. ß. coque ad mollitiem in colatura à radicibus relicta: deinde cola, & in colatura coque paſſularum maior. & minorum ana ℥iij. extrahe pulpam, ac ſerva: in colatura à paſſulis relicta diſſolve ſacchari candi ℥iij. & coque ad ſyrupi craſsioris conſiſtentiam, cola, & colaturę adde pulpæ raditum, & paſſularum, amygdalarum dulcium, & pineorum optimè piſtator. & per ſetaceum equinum traiect. ana ℥iß. pulv. Cinnamomi ʒj. Croci ℈ß. fiat Lohoch, quod ſumitur lambendo ad ℥ß. ter, vel quater in die.

## *BOLUS FEBRIFUGUS.*

℞. Pulv. Gentianæ Indicæ ʒj. Aloes ſuccotrinæ ʒß. Myrrhæ electę ʒiiß. ſalis centaurij, & ammoniaci ana ℈ß. fiat Bolus cum ſyrupo Abſynthij. Doſis à ʒij. ad ʒiij. bis in die, quatuor hor. ante cęnam, & quatuor hor. ante cibum, ſuper bibendo ſingula vice ℥ij. aquę

 cat-

cardui Benedicti, cum gr. viij. Salis Abſynthij, ad conſumptionem totius Boli.

## *BOLUS ANODYNUS.*

℞. Conſervæ roſarum antiquæ ʒij. Laudani opiati gr. iijß. fiat Bolus.

### *VIRES.*

*Confert in fluxu alvi, & ſimiliter dolorem ſedat, ſomnumque conciliat.*

## *BOLUS NEPHRITICUS.*

℞. Caſsiæ recenter extractę ℥j. ſeminis aniſi ℈j. tartari vitriolati ℈ß. fiat Bolus pro vna doſi.

## *BOLUS AD CASUM.*

℞. Spermatis ceti ℈j. ſalis volatilis cornu cervi gr. v. Balſami Peruviani gut. v. Terebinthinæ venetæ ʒß. ſyrupi de Meconio q. ſ. fiat Bolus.

### *VIRES.*

*Sanguinem coagulatum diſſolvit; vulneraque interna ſanat, Diaphoreſim, & Diureſim promovet. Contuſis detur (poſt venæ ſectionem) ter in die. Apprimè conducit Puerperis, ſtatim à Partu.*

***





## *BOLUS DE CASSIA.*

℞. Pulpæ caſsiæ recenter extractæ ʒvj. Terebinthinę venetæ (in aqua petroſelini lotæ) ʒiij. pulv. Rhabarbari ℈j. pulv. liquiritiæ q. ſ. fiat Bolus. *Præſcribitur ad arenulas, & contra gonorrhæam.*

# CAPUT II.

## *De Electuarijs in Pulverem Servatis.*

## *DIAMARGARITON FRIGIDUM MAG.*

℞. Margaritarum pp. ʒvj. roſar. rub. ℥ß. ſem. coriandri, tragacanthi, Doronici, gummi arabici, & trium ſantalor. ana ʒiß. raſuræ cornu cervi, & eboris, & oſsium de corde cervi ana ʒj. corallij rubri pp. ʒiij. camphoræ ℈j. panor. auri, & argenti ana N. vj. Pulverentur ſubtiliter, & cribentur per ſetaceum ſericum; deinde ſupra pulveres hos ſcindantur panes auri, & argenti; vſuique reponantur.

### *VIRES.*

*Fortificat, ac roborat cor, principaliaque membra confortat, ac refrigerat.* Doſis à ℈j. ad ʒiß.

## *ELECTUARIUM LETITIÆ GALENI.*

℞. Raſurę eboris, & Margaritarum pp. ana ʒj. oſsis de corde cervi ʒß. præparentur ſupra porphyrum, inbibendo inter præparandum, ſuccorum pomorum dulcium, cydoneorum, borraginis, & vini albi optimi